



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. XXIV. Argumentum. Varia præcepta Mentoris ad bene regendos
populos & cognoscendos hominum animos. Exscensio in insula. Telemachi
cum Ulysse genitore adhuc ignoto colloquium, & tenerior in eum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

TELEMACHUS.

LIBER XXIV.

IAmque vela idoneos promovendo navigio flatus áceperant; sublatísque anchoris videbatur auferri ex oculis tellus. Leucaten gubernator procul vidit, cuius iugo terra spissos halitus afflârat & coëuntes gelu: dehinc Ceraunia vel adhuc superbo in cœlos supercilio, quanquam toties multato fulminibus.

In itinere Telemachus sermonem orfus cum Mentore: Videor nunc demum mihi satis intelligere, quæ tu præcepta regiæ disciplinæ. Initio quidem se præbebant menti velut incerta per quietem species. At paullatim eidem apertiora & sine ambiguitate apparent; veluti primam sub auro-ram quæcunque succedunt in oculos, caligine aspersa; at luce sensim copiosiore formas rerum, quósque colores à natura habent, reparante è rudi quodam chao seu informi congerie videntur prodire. Certum mihi iam est, caput illorum præceptorum esse, rectè internoscere animos hominum, tum ut eos possis sine errore deligere, tum pro facultate ingenii sui rebus gerendis adhibere. Ceterùm restat scire, qua ratione animos hominum internoscere queam.

Id obtinere volenti, Mentor respondit: Non obiter meditandi sunt, discendique homines. Sæpe inspiciendi, frequentandi sæpe. Admittent itaque reges subditos in consuetudinem, in sermonem, in consilium: periclitabuntur eos per negotia leviora commissa: rationem istorum reposcent, ut, num
apti

apti ad maiora, intelligant. Ecqua tu ratione, Telemache, didicisti iudicium ferre de statuis & imaginibus? hac scilicet? Diligenter sculptorum inspiciebas opera: quæ mendosa, quæ recta, collato cum peritis sermone, adnotabas. Ergo & de vitiis & de virtutibus hominum frequenter sermonem confer cum viris sapientibus & probis, quique in pernoscendis animis multum ætatis posuere. Ita sensim ingenia noscere incipies, & quid de illis tibi promittere debeas. Quis porro te inter bonos & malos poëtas docuit scire distinguere? Diligens lectio, & suscepta cum idoneis poëtices arbitris consilia. Et musices unde tibi non rudis notitia? Nimirum ex diligenti ad magistros artis eius attentione. Quæ igitur spes bene imperandi hominibus, quos non bene noveris? Quomodo autem bene noveris, si nulla tibi cum illis consuetudo? Neque enim illa consuetudo cum hominibus censenda est, cum vides eos in concionibus, ubi de rebus nullius partis sermones accuratè cogitati communicantur. Sed ut consuetudo sit, opus est singulos seorsum inspicere, peruestigare ab intimis, delibare qualibet, expiscari opiniones & voluntates, quibus imbuti. Porro ut verè de hominibus iudices, nosse præprimis oportet, quænam hominis officia, quænam virtutes meritæque vera & sincera: ut, qui istis verè sunt instructi, rectè distinguas ab iis, quos spurium duntaxat meriti effert decus. Non alius frequentior sermo quàm de meritis & virtutibus. At quàm rara meriti & virtutis vera cognitio! Plerumque, qui de illis sermunculos in horas iactitant, illustres logos ferunt & verba præter argumentum palantia. Præcepta

cepta certa cognitâque habeas necesse est Iustitiæ, prudentiæ, virtutis, si viros prudentes iustos ac probos nosse in animo est. Item instituta regnandi optima perspecta habere oportet iudicia laturum de intelligentibus regiæ disciplinæ, illisque, quos ab ista removeret errori affinis subtilitas. Quid multis? mensuro diversa corpora mensura certa & proba opus est: ergo etiam idoneè iudicaturæ præceptis solidis & rectis, ad quæ exigenda iudicia. Scire oportet & probè quidem, quem finem homines vivendo, quem tu imperando spectes. Totus autem finis omnino hic est, ut tibi non tui causa petatur suprema auctoritas (hæc enim ambitiosa voluntas desciscet in tyrannidem) sed eò prorsus flectenda suprema potestas, vel potius supremæ potestatis molestia, ut per te virtuti & felicitati initietur subditus. Secus in incertum temere & sine consilio totâ vitâ procedes, haud sanè dispar in altum sine gubernatore proVecto navigio, quod nec studiosum petendi ab Astris consilii, nec peritum vicinarum crepidinum temere se offert pereundi discrimini.

Principes quoniam sæpe naturam virtutis ignorant, sæpe nec, quid requirant ab hominibus, sciunt. Virtutem putant aliquid nutrire iniucundi: austeram esse, & nimis sufficientem sibi. Unde illam horrent: abominantur. Contra obvertunt se adulationi. At tum longè vertit tergum cum veritate probitas. Proiiciunt utramque manum ad splendidum phantasma inanis gloriæ, eoque ipso se albo expungunt candidatorum veræ laudis. Facile assuescunt sibi persuadere, virtutem veram extorrem esse non tantum regiâ, verùm etiam orbe.

Etsi

Et si enim probi verè cognoscunt improbos; at hi probos nec cognoscunt, nec credunt dari. Istorum Principum ergo hæc demum est una & summa intelligentia diffidere planè & promiscuè omnibus. Latebras & solitudinem quærunt: omnia, etiam quæ flocci, suspicionibus perstringunt: homines metuunt, & metuuntur ipsi: averfantur lucem, & quales re ipsa sunt, apparere non audent. Volunt ignorari & sciuntur tamen, quia malignæ curiositati subditorum nihil impervium, nihil perpetuò inaccessum. Sordidi illi homuli, à quibus occupantur, immortaliter gaudent, sibi solis aditum patere ad dominos. Arcet à se verum rex, qui arcet homines. Involvitur veritas criminationum caligini, & quidquid lumen cognitionis ei posset afferre, repellitur. Huiuscemodi Principes obbrutescunt agresti & inhumana sua auctoritate, difficiles morosique perpetuo metu, ne fallantur; quanquam illos sic & necesse & æquum est falli. Quippe ubi primùm ad paucos consuetudinem suam contrahunt: admittere omnes illorum voluntates debent, & quæ animis suis homines isti imbibere, iudicia. Habent vel ipsi boni errores suos & opiniones rei cuiusvis iudicio & cognitioni præcurfuras. Coguntur præterea etiam delatoribus in se permittere arbitrium; quo quidem genere hominum nihil vitiosius, malignius nihil. Veneno quippe se alit: Venenò grassatur in innoxia: exaggeratione cumulat minima: mala potius invenit, quam inferre desistit: in rem suam ludit cum diffidentia & indigna humilique curiositate Principum, in quorum ieiunos egenosque animos sola dominatur suspicio.

Ho.

Homines ergo, Telemáche, perdiscas oportet. Discutiendi sunt, scrutandique. Fac alterum de altero loqui: periclitare eos paullatim. Permitte te nulli; & si es lapsus iudicio, usu sapere disce. Tectior est improbitas & reconditior, quàm ut probitati fucum non obiiciat. Unde cave, festines in alios seu virtutis seu perversitatis iudicium; utrumque enim pestiferum est. Hoc modo præcepta saluberrima trahes ex præteritis erroribus. Si quem invenies ab ornamentis virtutis & animi idoneum, utere illo fidenter. Quorum enim honesta vita & recta est, nolunt æquitatis suæ ignorationem haberi. Minus cupiunt ditescere, quàm æstimari & digni censi fiduciâ. Ne illos deprava impertiendo potestatem non definitam cohibitamque terminis. Plerique constanter coluissent virtutem, qua nunc carent, quoniam illis potestatem divitiasque nimium auxit favor dominorum. Qui secundis Diis ex omni numero subditorum amicos vel duos vel tres invenit, quorum sapientia probitasque nunquam vacillet: Facile per hos ipsos eorum inveniet similes, quos angustioribus officiis præponat. Ex bonis & integris hominibus, quibus familiaritè committimur, discimus, quæ per vires nostras in cæteris subditis rite discernere non valemus.

At enim, Telemachus opponit, malos intellexi nonnunquam idoneos rebus esse. His ergo utemur pariter? Iis uti, Mentor inquit, sæpe nos cogit necessitas. Sunt nonnunquam apud nationes turbulenta, extraque ordinem legum dissipata, iniusti callidique homines, quorum auctoritas iam iam invaluit. Funguntur splendidissimis muneribus,

bus.

bus, quibus privari absque periculo non queunt. Potiti sunt necessitudine nonnullorum hominum; quos ut supra vulgus effert virium conditio, ita delicatè decet attingi. Sunt ergo hi improbi, quoniam rectè suspecti habentur, & facilè turbare res valent, frequentandi cautè. Debet tantis per opera eorum usurpari; simul autem sensimque id agi, ut illa non necessaria, ipsi supervacanei esse incipiant. Præprimis autem cave, intimam cum iis amicitiam unquam ingrediaris. Abuti hac possunt, & quæ ipsis credidisti, arcanis te constringere invitum; quod quidem vinculum pertinacius est ferro, & par illis ex adamante. Adhibe eos negotiis, quæ diu non tenent: benignè accipe: suis ipsorum voluntatibus & desideriis obstringe ad fidem; his solis quippe à te possunt vinciri. Neque tamen admittes ad occultiora Consilia. Ratio quædam semper tibi in promptu sit, eaque abstrusa, qua voluntati tuæ se finant accommodari. Aditu pectoris tui, rerumque ad te pertinentium, semper interclude. Si imperium tuum pacatum, legibus revinctum, atque sub administratoribus erit, de quorum prudentia & integritate rectè confidas: tum demum improborum operam, qua necesse tibi fuit uti, paullatim sine damno iubebis consenescere. At ne tum quidem eos malè habebis: nam neque malis fas est malam referre gratiam. Dum autem à te bene habentur, simul ad emendationem illorum incumbere. Sunt quædam in iis toleranda vitia, quæ, quia naturæ adhærent, facilè consequuntur à nobis veniam. Nihilominus revocanda sensim melior auctoritas, criminâque illa reprimenda, quæ, si res in eorum perseveraret

veraret

veraret arbitrio, apertè committerent. Illud in-
super malum ingens est, res bonas administrari à
malis. Quod etsi subinde evitari non queat: sensim
tamen & pedetentim est abolendum. Princeps
sapiens, à quo omnis ad morum legúmque inco-
lunitatem refertur cogitatio, consequetur aliquan-
do, ut omnino valeat fraudulentæ malitiæ carere
obsequiis; bonóque inveniet, quorum & facultas
ingenii & numerus sufficiat.

Ceterùm satis haud est bonos tantummodo
subditos reperiri in populo. Adnitendum præte-
rea, ut alii quoque similes eorum incipiant esse.
At enim hoc opus arduum, hic labor intolerabilis:
Ita Telemachus. Contra negabat id Mentor; &:
Labor, inquit, quem collocas in viris idoneis bo-
nisque ad dignitates & munera conquirendis, ido-
neum quemque impellit & allicit, ut virium sua-
rum facultatem totam expromat. Quàm non
pauci infordescunt ignobili otio, inferendi heroi-
bus, si industriam eorum honesta æmulatio & spes
optati successus accenderet! Et quos egestas, atque
imbecillitas virtutis ad obtinendum decus, cogita-
tione non laceffivit eius consequendi per scelus?
Si ingenio, si virtuti decernas præmia & dignita-
tes, quotusquisque subditorum se iis acquirendis
non reddet idoneum? Imò tu ipse quot reddes, si
ad summæ aulæ officia ab infimis iubebis ascende-
re per gradus? Hoc nimirum agendò efficies, ut
quas à natura accepere dotes, omni diligentia ex-
colant; & ipse, quantum ingenio possint, virtute
velint, percipies. Illi enim procedent ad suprema
officia, qui inter tuos oculos adoleverunt in infi-
mis, quósque à gradu ad gradum euntes rite ob-

servaveras, & quos denique non verbis, sed tota operum, quæ præstiterunt, serie diiudicabis.

Dum his sermonibus Mentor Telemachum instituit: vident Phæacum navigium depulsum ad insulam, non spatiosam, desertamque, nullo etiam cultu, saxisque ambientibus ad horrorem intuentium septam. Et tum, ventis compositis, ipsi etiam Zephyri animam videbantur de industria cohibere. Stagnabat mare ceu lævigatum in glaciem: fluebant remissa vela, paulo ante anima, nunc pondus navigii: frustrabantur quantumlibet incitati remi fractam nautarum operam. Iaciendæ ergo erant anchoræ ad hanc rupem veriùs, quàm humano cultui idoneam insulam, & aliàs, nisi tum æquè venti resedissent, vix permissuram innoxiam excursionem. Phæaces venti expectatione suspensi, non segniùs videbantur se, quàm Salentini, navigationi offerre. Telemachus iisdem appropinquabat per pronum littus; & fortè obvium, num Ulysssem Ithacæ regem vidisset in Alcinoi regia, percontatur.

Alienigena erat, quem temere occurrentem iuvenis interrogaverat, augusta, etsi tristi & ærumnosa specie. Videbatur multa cogitatione distentus, ut vix audiret, quæ primò interrogabatur à iuvene. Tandem: Non falleris, inquit. Ulysssem accepit Alcinoüs his locis, ubi par Iovis & hospitii religio. At iam terendit aliò. Ibi nequicquam quæres. Profectus illinc est animò, si reditum annuant placati Dii, videndi Ithacam.

Vix ubi ista gravi cum mœrore protulerat: se agebat in sylvulam crebris arboribus præalto incubantem scopulo. Inde tristi obtutu obibat mare.

Ipsèque

Ipséque horror & fuga à congressu hominum, quos viderat, ostendit, anxium esse de suspenso itinere. Telemachus in hoc homine defixerat oculum. At quò intuebatur diligentius, eò magis perstringi cœpit, & turbari animo. Unde conversus ad Mentorem: Peregrinus iste mihi respondit, ut qui fere aurium usu & meliori forte omnino est multatus. Tangit me aliena miseria, ex quo ipse miser sum. Vix audire, vix respondere dignabatur. Sentio mutari hoc pectus super isto homine: causam mutationis frustra inquirō. Et is me quidem accepit indignè; néqueo tamen malis suis non optare finem.

Mentor modesto risu: Ecce tibi fructum adversæ fortis! Sapientiam regibus tribuit, & sensum alienæ miseriæ. Deos se credunt, si nihil præter venena gustarunt felicitatis. Montes ipsos volunt in planities defluere, ut planum sit voluptatibus suis iter: homines flocci, naturam universam ludibrio habent: omnis de miseriis & calamitatibus sermo ipsis videtur monstrosus, & referentis visa per noctem. Viderunt nunquam, quid distent tempora luctus & gaudii. Sola ipsos calamitas potest humanitate imbuere, saxèumque cor humano permutare. Tum quippe persentiscunt se homines esse, & ad ceteros homines opus habere humanitate. Certè si vicem tantopere doles ignoti hominis, quòd hæc littora more tuo oberret extorris: quanto maiori opere indolebis olim, si quæ sint futura, Ithacii populi miseriis? illius, inquam, populi, quem curæ tuæ, velut nos pastori oves, mandabunt Dii, quémque forsan perdet aut tua ambitio, aut luxus, aut imprudentia. Populo-

rum enim ruina vel calamitas fontem unum habet, vitia regum; quos tamen necessitudines omnes iubent curare, ne quid cervicibus subditorum ad-versi insultet.

Differente in hanc sententiam Mentore, Iuvenis demisso in gravem tristitiam animo, tandem quasi percussus: Si planè, inquit, ita res istæ se habent, profectò regum haud alia infelicior est conditio. Servus illorum & mancipium est, in quos videtur dominari. Propter eos à Diis est conditus: illis debet se totum, & ex asse: ipse fulcrum est ad onera omnium; omnium item & singulorum, quibus imperat, vera & propria possessio; levamen, cuiusque accommodandum infirmitati; Pater denique omnium, qui corrigat, instruat, fortunet. Vis & auctoritas, qua videtur pollere, ipsius non est. Nihil gloriæ, nihil libidini suæ, habet, quod gerat. Potestas quippe ipsius non ipsius, sed res legum est propria. His idem ipse subditus, & subiectus est. Re enim vera custos tantùm est legum, & minister, leges ut imperent. Ipse est, qui omnem curam debet ad conservandas leges referre, & totius Imperii unus minima quiete frui. Mancipium est, quod otia suæ libertatis libertati publicæ consecravit.

Rectè philosopharis, Mentor inquit, regem ea propter duntaxat regem esse, ut populi sui curam habeat seu ut pastor gregum, seu ut paterfamilias suorum. An autem infelix tibi videtur, quòd bene mereri debet de toto numero mortalium? Scelus coërcet suppliciis: virtutem accendit præmiis: velut Deus quidam humanum genus ad probitatem instituit. Parùmne laudis habet ex legum, quam

quam imperat, reverentia? Mehercle non laus illa, quæ in leges sibi adsciscit arbitrium, laus vera, sed impietas & vilitas est. Rex si perversitati se tradit, nequit nisi esse infelix. Tumultuosa enim est, cui obsequitur, cupiditas, & turbulenta ambitio. Contra si probus sit & tenax recti: in virtute excolenda ponere operam & operæ istius æternam à Diis mercedem expectare, habebit liquidissimæ ac certissimæ voluptati.

At Telemachus quanquam his præceptis optimè erat imbutus, & alios ipse imbuerat; perstritus tamen occulta acutæque ægritudine, videbatur earum rerum disciplinam nunquam accepisse. Difficilis quædam morositas verissimis placitis, quæ proferebantur à Mentore, obvertebat eius quanquam inviti ingenium, præfractæque ad ea exacuebat refellenda. Opponebat autem sapientissimæ doctrinæ ingratum humani generis animum. Quid? nos, inquit, tanto opere sudare, ut amorem conciliemus istorum scilicet hominum, quibus fortasse amabimur nunquam? Nos bene mereri de malis, qui avertent bene merita ad malè nobis faciendum?

At placidè à Mentore occursum: Ab hominibus equidem non est, quod speremus, præter ingratum animum. Atqui propterea fas non est, fringere bene merendi industriam. Bona ipsis præstanda sunt non tam ipsorum causâ, quàm Deorum, qui id iubent, gratiâ. Nunquam inutile est beneficium. Obliviscantur illius homines; at non obliviscuntur, qui referent, Dii. Sint plerique ingrati; at præter plerosque nunquam non sunt, virtus tua quos movet. Sint plerique instabilivoluntate, suique

tenaces arbitrii; at nec ipsa inconstantia pervici-
ciâque omittit veræ virtuti, quod par est, tribuere.
Quodsi tamen libet ingrati ab hominibus arcere
voluntatem: cave, iisdem unicè velis ex divitiis
admoveere potentiam, ab armis conciliare aucto-
ritatem, de obsequio voluptatum prospicere. Hæc
auctoritas, hæc rerum copia, hæc illecebræ stragem
faciunt illorum moribus, animum inducunt dete-
riorem, adeoque magis ingrati. Donum sunt,
sed exitiale, & quale nostri reliquerunt ad Tro-
iam. Venenum sunt quò blandius, eò funestius.
Contra in eo existima tibi ponendam operam, ut
profligatos mores restituas, ut iustitiam, cando-
rem, religionem, humanitatem, fidem, præter
temperantiam voluptatum, fugamque sordidæ cu-
piditatis in animos inferas. Quantum eos ad co-
lendam virtutem adduces, abduces à mala beneficii
gratia. Virtutem enim, quæ verum bonum est,
ipsis tribues, quæ ubi mentes verè infederit, eas
perpetuo vinculo auctori tanti boni coniunget.
Atque inde tu quoque consequere beneficium,
quoniam tibi post veras divitias tributas timendus
non erit ab iis, quibus tribueris, immemor accepti
animus. Homines in illos dominos mirum, ingra-
tos esse, à quibus meminerunt, avarè, ambitiosè,
crudeliter, superbè & cum perfidia sibi imperita-
tum? Expectandum est Principi à suis, ad quod
faciendum suos exemplo instituit. Contra si &
virtute & auctoritate sua eos studeret ad cultum
erudire probitatis: consequeretur sanè fructum
laborum suorum subnascente discipulorum virtu-
te, aut certè ex sua probitate & Deorum amicitia
solatium deceptarum expectationum.

Solu-

Solutus Mentoris congressu iuvenis ad vectores detentæ in portu Phœacæ navis decurrit. Versusque ad hominem, cuius anni iam pridem à latiori ætate recesserant, scitatur, unde domo? quo iter? nihil Ulyssis meminisset vidisse? Responsum à sene: venire ex insula sua Phæacia ad colligendas ex Epiro merces. Ulysses (ut paulò ante sibi fuisset indicatum) ingressum Phæaciam, dehinc rursus inde excessisse. Quis ergo ille, Telemachus urget, qui expectans, dum navis vestra hinc solvat, tam tristi specie scrutatur desertissimos locos? Peregrinus est, senex inquit, & nobis incognitus. Cleomenem dicunt appellari, & in Phrygia editum. Matri, antequam eum edidisset, Oraculum indicasse, quem gestaret utero, futurum regem, nisi remaneret in patria; sin extra eandem non tenderet, terribilem luem Phrygibus incubituram.

Vix editum in lucem nautis quibusdam parentes tradidère exportandum in Lesbion insulam. Ibi clam & patriæ sumptibus educabatur; quippe cuius magni intererat, eum adolefcere alibi. Exiguo temporis intervallo corpus pueri magnitudine & robore cœpit esse eximium. Accessit venustas & ad omnia, quibus corpora aptamus, habilitas. Scientias & artes non avidius amplectebatur, quàm alacrius. Ceterùm omnibus gentibus erat intolerabilis.

Vulgabantur quippe hæc de illo oracula. Quocumque devenerat, noscitur. Ubique suspicionem movebat regibus, potestati eorum imminere. Unde cœptos à teneris errores itinerum nullibi terrarum sistere, nullibi commorari permittitur. Contendit nonnunquam ad gentes, ad quas patriæ

suæ ne nomen credere fas sit pervenisse. At vix urbem ingreditur, cum & patria & editæ de illo sortes propalantur. Iniiciat se latebris & ubivis obscuram ingrediatur vitam: nunquam, etsi iussæ, celare se valent dotes animi eius, tam quæ ad bellum, quàm quæ ad scientias, resque summas administrandas referuntur. Plerumque se obtrudit improvisa occasio, quæ protractum è latebris inferit publicæ notitiæ. Ipsa merita aggravant illius sortem. Efficiunt quippe, ut rerum deteriorum suspicione, quocunque habitatum contendit, reiciatur. Fatum eius hoc est, ubique æstimari, diligi, in admiratione esse, & ubique expelli.

Nunquam Asia, nunquam Græcia tametsi molliores annos pridem egresso permisit oram, quæ illi non extiterit turbulenta. Ut favores notabiliores fortunæ non appetit, ita se ab ambitione abesse ubique ostendit; futurus profectò omni ex parte beatus, nisi oraculum regia dignitate significasset beandum. De cætero spe prorsus excessit salutandi unquam Penates patrios. Satis enim credit, præsentiam suam universis Penatibus fatalem & pestiferam fore. Iraque regium decus, propter quod miser est, ne appetit quidem. Illud tamen de regno in regnum trahit non sua, sed factorum voluntate, sequens; & videtur eum fugere, ut in graviolem usque ætatem miseri hominis ludibria sua propaget. Vah Deorum sinistrum munus, quo robur ætatis eius concutitur, & calamitatibus opplentur tempora, quæ vel maximè sibi otiosa deposcit esse humana infirmitas.

Addebat præterea senex, eidem in animo esse proficisci in Thraciam, & populum, nescio, quem
barba-

barbarum & nullas hactenus leges passum, per-
 vestigare; cui collecto, iustaque forma composito
 interea temporis imperaturum, dum expleta ora-
 cula formidinem ipsius celebrioribus regnis ab-
 stulerint. Inde ad ingrediendam integerrimam li-
 bertatem statuisse Cariæ vicum petere, vacatum
 agriculturæ, cui mirum in modum esset addictus.
 De reliquo virum esse non sapientia modò valen-
 tem, modestiæque eximium, sed pietate præterea
 adversus Deos verissimè imbutum: peritum de-
 nique mortalium animis, gnarumque iis præter
 incautam fiduciam uti. Atque hos demum rumo-
 res de advena ferri, cuius conditionem ex ipso
 voluisset cognoscere.

Hæc referente seniculo Telemachus oculos
 subinde deflexit in mare, cui tunc eximi quies
 cœperat. Immisso vento excitæ undæ allisæque ad
 rupes inhærente spuma relinquebant sui vestigi-
 um. Cùm ille ad iuvenem: Abeundum mihi. Mo-
 rari comites non decet; simul ad littus se prorip-
 pit. Inscenditur: volutatur per crepidinem lit-
 toris ambiguus nautarum fremitus, fervensque
 ex soluta demum percupitæ profectiois mora.

Ceterum ille alienigena, cui Cleomeni erat no-
 men, media regione aliquamdiu palatus, altissimos
 quosque apices montium conscendit. Inde in
 nullos terminos procumbens maris æquor percur-
 rebat tristi obtutu. Nunquam eum ex oculis di-
 miserat, nunquam à vestigiis, quæ faciebat, inten-
 tam cogitationem averterat Telemachus. Move-
 batur vera pietate, quoties virum aspiciebat adeò
 probum, extorrem, & quanquam destinatus erat
 ad summa, infelicem; quàmque crudelibus modis

iaceretur à forte, pensabat. Fieri saltem potest, inquit, ut ego Ithacam rursus aspiciam; at non fiet, ut iste Cleomenes Phrygiam. Ita de présente maiori calamitate tanti viri fomenta calamitati suæ legebat Telemachus.

Tandem peregrinus ille posteaquam navem suam idoneam vidit ineundo itineri: è montium præruptis descendit. Tantâque fuit inde decurrentis perniciousitas, ut æquaret illam Apollinis, cùm in Lyciæ saltibus per prona ambigûaque grassantem culmina, vinculo imperante modum flaventi capillorum licentiæ, cervis aprisque destinata stragis desiderium abripit. Iamque recepto advenâ undas diffisi pelagi moliebatur navigium: cùm Telemachum arcanus doloris sensus cœpit corripere. Affligebatur, & nesciebat causam: solvebant etiam se fletus, & nihil præ istis iuveni accidebat iucundius.

Tum Salentinos nautas omnes vidit super herbas ex ipsa fatigatione multo somno resolutos. Quiescendi otium fessos artus leniter invaserat, omnemque vim coactam ex herbis, quibus nocturnum exciri soporem credunt, aprico die Minervæ numen dormituris immiserat. Et iuvenis quidem vehementer mirabatur, cùm videret somniculosam ignaviam nec uni Salentinorum abesse. At potior cura fuit diligenter contemplandi Phœacam navem, iam extra oculorum futuram prospectum, quam pedem ferendi ad abrumpendam quietem comitum. Occultus quidam pavor & sensus, percurrens animum, oculos Telemachi pertinaciter affigebat rati, quanquam eò usque iam provectæ, ut nihil ad obrutum eius, præter vela pertingeret, inter
caru-

cæruleas aquas quoquo albi coloris discrimine noscenda. Porro ne ipsum quidem Mentorem exaudiebat iuxta loquentem. Abierat ferè à sensibus; ut Mænades, cum Thyrsum iactantes manu insanis ululatibus Hebri ripas faxaque Rhodopes Ismarique percellunt.

Fascini genus erat, quod ei inciderat. Inde utcunque exsolutis sensibus, in lacrymas revolvi cœpit. Ergo Mentor: Haud miror, Telemache, te imperare lacrymis non posse. Tu quidem causam huius rei ignoras; at non Mentor. Naturæ hæc vox est, quæ prodit se. Natura te afficit hac teneritudine. Ignotus ille, à quo tanti animo tuo fluctus, magnus Ulysses est. Quæ tibi ille ex Phæacia senex denarravit Cleomenis nomine, commentum sunt, contextum ad obscurandum genitoris tui ad sua reditum. Ithacam rectà proficiscitur. Et iam propinquus est littori, & compos illius, quem tam optabat diu, aspectus. Vidisti genitorem, quæ fors tibi prænunciavit edita; sed non agnovisti. Ceterum paulò post eum & videbis & agnosces, tæque ab illo agnosci intelliges. Ut extra Ithacam illum agnosceres, hoc temporum & rerum istarum ingenio permittere Dii non poterant. Ipsius perinde atque tuus animus tangebatur. At pro ea, qua est sapientiâ, noluit se manifestare ulli mortalium ibi terrarum, ubi in cognitionem publicam insidiâsque procorum Penelopes periculum erat incidendi. Genitor tuus ita sapit unus mortalium, ut secundum non habeat. Cor eius puteus est, cuius intima nudari non possunt. Amat verum; nec verbulo illi iniurius est. At prodit nunquam, nisi poscat necessitas. Sapi-
entia

entia ab labiis eius sigilli coërcet fide, quæ manifestata non profint. Ut affectus est animo, cùm responsum ab eo filius exigeres! ùt imperavit paternæ cupidini, ne, quis esset, excideret non sentienti confessio! ùt tuo percutiebatur aspectu! Hæc scilicet erant, quæ illum deiiciebant tristitia.

Dum hæc proferebantur à Mentore, vultus Telemachi non madere, sed stagnare lacrymis visus, quas potestati eius vehementior motus ardorque animi eripiebant. Diùque sermonem prohibente singultu, tandem voce eiulanti quam loquenti viciniore: Sentiebam, inquit, sentiebam eheu! dilecte Mentor, in hoc peregrino nescio quid inusitatum, quod illi adiungebat meum hunc animum, ipsaque hæc viscera movebat loco. At at! ante abitum cur reticebas eum mihi? Sciebas Ulyssen esse? ecurr missum hinc fecisti, non compellarum sermone meo, non specie significatum, constare, quis esset, tibi? Ecquod hoc arcani est genus? Egone semper configere tristiori forti? Egone statuentibus Diis, sitire alter Tantalus, qui fallaci labiâque sua averfanti undæ infidiatur incassum? Mene Ulysses, Ulysses, inquam, fugisti perpetuò? Quid si vidi ultimùm? Quid si te in paratas mihi casses induent materni proci? Te si sequerer, tecum certè perirem unâ. Ah Ulysses! Ulysses! nisi ad rupem te agat pelago adhuc in te residuus impetus (quid enim à fortis invidia non metuam miser?) timeo, & ô quantum! ne quàm Agamemnoni Mycenæ, tam funesta tibi sit Ithaca. Tu verò Mentor, cur obscurabas alumno tuo hunc propitium fortunæ aspectum? Nunc Genitorem amplecterer. nunc cum

eum genitore versarer in Ithacæ portu: nunc in hostes universos iuxta procederem.

Mentor consueto seu moderato risu: Ecquid vides, inquit, mortalis hominis ingenium? Quia visum genitorem non agnoscebas, nunc insolatii es. Quanto heri non fuisses empturus nuncios, verè afferentes, adhuc eum vivere? Atqui hi tui oculi id hodie afferunt tibi. Et adeò non gaudes propterea, ut nihil ex consueto dolore amittas. Ita mens hominum perversa, quæ maxime expetit, ubi eorum potitur, contemnit; & ad argumenta procedit dolendi de iis, quæ nondum obtinuit. Hac rerum ambiguitate te trahunt Dii, ut stadium patientiæ tibi aperiant. Tu quidem hæc tempora existimas rebus tuis sterilescere; at totius ætatis tuæ fructuosissima sunt. Hic quippe dolor, hæc ægritudo te erudit usu virtutis, imperaturo præ, quàm alia, necessariæ. Patientia enim opus, ut & tibi & reliquis moderêre. Intolerantia, quam vim & potestatem iudicant animæ, debilitas est. Qui nec moram nec mala ferre potest, comparandus est homini, arcana celare non valenti. Tam huic, quàm alteri deest se retinendi facultas & copia, ut fermè homini raptanti currum in hippodromo ad reprimendos, cum opus est, inter cursum equos sat firma manus. Non obsequuntur habenis, sed infideli mole proniores affliguntur arenæ: imbellis auriga, effluentibus loris in casum præceps, obteritur. Atque ita homo, cui frenum deficit patientiæ, ab indomitis & efferratis cupiditatibus raptatur in abyssum miseriæ; quòque maior est illi potentia, eò perniciosior eidem existit intolerantia. Moram nullius rei patitur:

tur:

tur: nescit deliberationi dare iustum otium: vi agit omnia, ut violenta desideria compleat: ramos frangit, ut fructus nondum maturos legat: cardines vellit potiùs, quàm expectet liberum aditum. Messem ab agris vesperi postulat, quos mane conseruit. Quidquid festinatò & intempestivè gerit, perperam gestum est, & perinde mansurum non diu, ac fluxa eius lubricaque desideria. Hoc malefanum ingenium hominis, omnia in potestate virium suarum existimantis esse, útque viribus suis abutatur, importunis cupiditatibus obsequentis. Dii ergo, Telemache, qui erudire te volunt ad patientiam, tam dubium patientiæ tuæ palum figunt, ut te videantur ludum suum facere, qui hæc ancipitis tuæ peregrinationis tempora nolint ambiguitatum molestia exsolvere. Bonum, quod sequeris, simul ostendit, simul aufert se velut somnium, quod discusso sopori ne momentò superstes est. Ex quo documentum capies, subitò elabi, quæ credis contineri manu. Minùs te erudiret vel Ulyssis magisterium, tametsi à sapientia propè Divinum, quàm diuturna illius absentia, & quæ inde cervices tuas premit, calamitas.

Secundùm hæc Mentor ultimò, & quàm unquam aliàs delicatiùs periclitaturus iuvenis patientiam, eùm is forte summo ardore nautas ad maturandam profectiõnem vellet urgere, desubitò repressum iubet Minervæ super littus solito óperosius sacrificium conficere. Paruit iubenti non aliter ac genitori optimus filius. Inde & inde cumulati in aram cespites. Dispertiebantur incensi odores nubem: stillabat sectis iugulis hostiarum copiosus cruor: Telemachus inter piissimas preces profitebatur Divæ potens auxilium.

A re

A re Divina actutum secutus est Mentorem obscuro recessu, quo intrabatur, quæ in proximo, silvula. Cùm repenti vultum amici sui mutari. Extersæ fronti rugæ, velut umbra, cùm in Orientis aditus sublapsa aurora horizontem modestè accendit. Oculi, aliàs recepti sub frontem & difficiles, nunc cæruleo colore & divina luce intercurrente cæleste decus induerant. Videri desinebat, quod subnatum mento & nutritum sine cultu, indicium eratiam multæ senectutis. Oris conformatio generosa, intrepida, venustate elegantiaque mixta perstringebat aspicientem Telemachum. Iam vultus oculis eius obversabatur scæmineus, præ flore, cuius ad oculum illecebras modò Phæbus elicuit, pubescens delicatius, miscensque, quod seu in liliis seu in rosis commendatur. Ambrosiæ odorem spirabant fluentes capilli: splendor vestium aut audacior, aut non languidior coloribus, quos in cæli convexis nubibusque nocturnæ caligini præter auri decus diffusum sol oriens substituit. Pedibus humum, cùm se movebat, Diva non tetigit, sed levi tenuique tractu, quali aves meant, labebatur per auras. Manus firma & lætissimis viribus, sustinebat hastam, non segniùs micantem fulgure, urbésque & bello validissimos populos concussuram, neque à Marte aspiciendam sine metu. Vox iucunda & lenis, firma tamen & facile labens in animos. Verba singula non celeriùs, quàm acutiùs Telemachi pectus effodiebant, relicto dolore miræ dulcedinis. Cono galeæ insidebat noctua. Ægidem præcordiis, illustrem terrorem, obiecerat. Inde constabat Telemacho, Minervam esse.

Tunc

Túne Diva, exclamat, tu ipsa dignabare, genitoris ergò, comitari, ducere Ulyssis filium? Plura dicturum in eandem sententiam lingua destituit. Nitebatur os nequicquam verba accommodare sensis, quæ ab intimis animis magnitudo ciebat affectus. Opprimebatur vi præsentis numinis, velut qui per quietem ira occupatur mole nocturnæ imaginis, ut intercepto spiritu vocem nullo conatu labiorum possit expromere.

Tandem Minerva: Postremùm, inquit, alloquor Ulyssis filium. Ex omnium mortalium numero te unum adhuc summa cura instrui. Hac manu per naufragia duxi te, per ignotos populos, per cruentas pugnas, per mala æumnâsque omnes, quas ad tentanda ingenia mortalium invenimus Dii. Ufu certissimo & manifesto te imperandi præcepta recta perverâque edocui. Errores, quos commiseras, quàm calamitates, tibi non profuêrunt minus. Quotusquisque enim mortalium sapienter imperat, nisi ex adversis, in quæ culpa sua est impulsus, sapere probè didicit? Terras mariâque casus tui æquè ac parentis implevêre.

Proficiscere igitur, dignus tandem, qui vestigiis eius insistas. In Ithacam, ubi, quem quærebas, hoc punctum temporis exponit, brevis & expeditus hinc cursus est. Pugnantem genitorem adiuva: imperanti ut è vulgo subditus auscultata: præi, quod ceteri sequantur, obediendi exemplum. Antiopen sponsam tibi leget, dabítque lætis auspiciis in manus, quoniam sapientiam & virtutem pulchritudine ducebas potioem. Admotus sceptro, honestatem omnem puta, revocare aureæ ætatis sortem. Æquas aures nulli nega: paucis crede: & nimium ipse

ipſe tibi credas, cave. Nunquam pone erroris merum; & ſi erraſti, id ne erubeſcas profiteri. Ama populum; à quo ut ameris, ſtude. Timore opus, ſi amor deficit; eſſi timore, ob violentiam ambiguo poteſtatis remedio, agre duntaxat & cum dolore utendum. Quid ſit futurum ex rebus, quas ages, conſidera. Proſpice, quæ maximo exitura diſpendio. Scito, veram fortitudinem eſſe, penſare omnia diſcrimina, & contemnere, quæ vitari non queunt. Qui pericula recuſat proſpicere, aſpectum eorum æquo animo non feret.

Verè ſapiens & magnanimus eſt, qui omnia ſingulæque conſiderat, vitari quæ poſſunt; æquo animo ſuſtinet, quæ ſubire neceſſe eſt. Fuge voluptatem, faſtum, luxuriam. Decus tuum ſimplicem vitam exiſtima. Ornamenta tibi, regiæque tuæ ex virtutibus & rectè factis adſciſce. Hi tui ſatellites, hi cuſtodes ſint; quibus ſtipatus documentum exiſtas orbi, in quo veram gloriam conſtituat. Meminiſſe ne deſine, reges imperare non ob ſuam ipſorum gloriam, ſed communem ſalutem. Quæ agunt bona, in poſtrema tempora ſimpliciter tranſeunt; mala autem, quæ perpetrant, in aliud atque aliud genus volutata cum incremento, ultima poſteritas accipit. Subinde perverſum unius hominis imperium origo eſt calamitatum per plures ætates graſſantium. Ab ingenio tuo tibi præprijis cave. Hoſtis eſt, quem ad urnam uſque tecum trahes. Intrabit omnia tua conſilia, depravabitque, ſenſum eius ſi audies. Occaſiones proſtigat temporæque optima. Ingenti rerum diſpendio aſſuefacit alia pueriliter ſectari, alia refugere.

In statuendis maximis pondus omne vocat in argumenta levissima. Obscurat dotes animi: virtutem debilitat: hominem reddit varium, ignavum, vilem, intolerabilem. Ab hoc ergo hoste tibi cave. Deos, Telemache, Deos time. Timor hic humani cordis thesaurus est. Cum eo veniet tibi sapientia, æquitas, pax, gaudium, sine nævo delectatio, vera libertas animi, dulcedo abundantia sincera, inviolata.

Desero te; at non deseret sapientia, nisi memor esse desieris, te sine illa nil posse. Tempus nunc est, ut te viribus tuis permittam. Libuit mihi in Ægypto & Salenti abesse à te, ut affuesceres societatis carere solatio, quemadmodum sobolem à primis infantia alimentis removet genitrix, ut solidioribus incipiat vesci.

Simul hæc ultima protulit, simul Dea, levata sursum condente aurea cæruleaque nube, porro spectabilis non fuit. Telemachus gemere, commoveri, demitti in terram impos sui, porrigere cælo supinas manus. Deinde excitatis è somno comitibus, strenuo itinere appulsus in Ithaca, genitorem apud fidelem Eumæum invenit.

L. D. & D. V. H.



INDEX